

Nr
1
2
3
4
5
6.
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18



Nr.	Prefides	
1.	Hildvogel	De statibus provincialibus.
2.	de la Casas	Utrum reges aliquo jure oives et subditos a regia corona alienare posse possint.
3	Gampsbeck	- magnis imperiis.
4	Stender	- nomine Henrici regibus Gallie in favo.
5	Bocckelmann	- refindendis et non servandis contractibus
6.	Stryck	- reparacione dannorum.
7	Hildebrand	- resignatione homagii imperata.
8	Simon	- factoribus bellatis.
9	Simon	- iure Statutorum.
10	Bodinuu	- eo qu. fit in continentia superiorit. territoriali.
11	Lyncker	- eo qu. iust. circa identitatem.
12.	Stryck	- iure Analphabytow.
13.	Stryck	
14.	Barth	Diss. iuris Basilea & Lips. habite.
15.	Hahn	De rationibus.
16.	weselau	- errore calculi.
17.	Werner	- rationibus.
18.	Eberwein	- College imperiali.
		Dissert. Barthii sunt.
1.		de extraord. Imperatoris Iudicio
2.		de benef. abstin. hered. pat. ad effectum re-
3.		linenti dotem acceptam. Dotem pro-
4.		ad effectum exigendi missam.





94 A 7399

V. XLII.

J. J.

DOCTORES.BUL- LATOS

MAGNIFICO. SUPERIORUM. PERMISSU
PRÆSIDE

DN. JOH. GEORGIO. SIMONE. D

EXHIBET


ECBERT. FELIX. *Meyerhoff*
STERNBERGA. WESTPHALUS


AUTOR

JENÆ. DIE. III. DECEMBR. A. O. S. M. DC. LXX.

TYPIS. NISIANIS







L. S.



Uanta olim omnium Facultatum

Doctoribus, quamque veneranda constiterit Autoritas, vel ex eo saltem, B. Lector, conjecturare, valebis, quod referente *Golasto, part. 2. Const. Imperial.* ab Ordinibus Germaniæ & Cæsare Sigismundo in Concilio Constantiensi propositum fuerit : Decernerent Patres, ut quarta pars omnium Feudorum Ecclesiasticorum, puta Majorum, quæ decem Marcarum Argenti taxationem superarent, pro viris eruditis deponerentur ; ita quidem, ut in quolibet Templo Cathedrali Der vierdte Theil aller Thumstiften und Pfründen auffgehebet werde für die Doctores und Licentiaten der Heiligen Schrift / desgleichen Geist- und Weltlichen Rechtens / &c. Verum ab hoc laudabili consilio, communique Magnatum voto sequentibus temporibus multum discessit vaniloqua ignorantiae temeritas, quæ dignos atque indignos Ablativum Doctoris adsciscere posse vociferabatur, adeò quidem, ut non incongruè (ex mente eorum) exoptanda rursus censeretur Reformatio, quæ circumfertur vulgo, Friderici III. Moguntiæ in Comitiis proposita, Art. 5. Alle Doctores der Rechten / sie seyn Geist- oder Weltlich / im Heil. Römischen Reich Deutscher Nation, sollen / nach laut der fürgenommenen Reformation, an keinem Gerichte bey keinen Rechten / auch in keines Fürsten oder andern Räthen mehr gelitten / sondern

A 2

gang

ganß abgethan werden / Dn. Conring. de Orig. Jur. Germ. c. 32.
Verum enim verò , utut inficias ire nequeamus , quod pas-
sim hodiè reperiantur Doctores , qui docendi sunt , & è
contrario Scholastici sive Candidati , qui docere possunt,
Job. Gars. de expens. & meliorat. t. 4. n. 6. Quemadmodum
etiam de Doctoribus Italicis & Gallicis in quam plurimis
Academii attestatar *Thom. Lans. in orat. contra Ital.* ita qui-
dem, ut passim prædicti Doctores audiant Doctores neces-
sitatis atq; Doctorelli ; attamen exinde honorabili Docto-
rum titulo nihil decedere , quatenus videlicet in se specta-
tur , tam manifestum est , quam , quod manifestissimum .
Possemus igitur prædictos ineruditos promotos haut ine-
leganter comparare cum defectibus Naturæ , quæ , licet
semper intendat perfectius , tamen in quibusdam individu-
is aliquando aberrasse non rarò deprehenditur . Et quo-
niam illud ipsum eruditionis desiderium frequentissimè
Doctoribus Bullatis assignari solet , quippe qui sæpius non
intercedente sufficiente probatione , aliisque ad hunc a-
ctum desideratis necessitatibus neglectis , tales existunt ,
hinc non abs re me fecisse patebit , si paulò altius in eorum
Definitionem tam nominalem quam realem , item
Causam efficientem , Materiam , Formam , Finem & effe-
ctum inquisivero : quare , ut hoc feliciter eveniat , implora-
to Divini Numinis auxilio , Tibi quoque B. Lector , hoc
quale quale Conamen amicè officioseque sedu-
lus commendo .

CAPUT

CAPUT PRIMUM.
DEFINITIONEM DO-
CTORUM BULLATORUM NO-
MINALEM ET REALEM PRO-
PONENS.

Dicuntur Doctores Bullati à Bullâ sive Sigillo, *capit.*
Presentium. 2. de testib. in 6. quod testimoniis eorum
à Comitibus Palatinis ordinario subjici solet, unde
bullare idem quod sigillare: eratque hoc solenne.
Cæsaribus in actibus majoris momenti, ubi signum Cæsa-
ris, ceræ impressum & capsulæ cuidam ex auro aut plumbo
incusum literis appendebatur, non aliter sanè, quam olim
bullæ pueris prætextatis, *vid. Marquard. Freher. in not. ad*
Petr. de Andl. lib. 2. cap. 5. verb. Bullæ, sed sigillo. p.m. 170. cum
Arnold. Hist. Sclavor. lib. 7. c. 14. & Petr. de Vineis. Epist. 21.
lib. 1. add. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 6. Alii quidem vo-
cabulum *Bullæ* barbarum & minus Latinum clamitant; Alii
à Græco Βύλη, Autore Festo, derivant; verum utramque o-
pinionem rejicit Rennem. *de Jur. Rer. Disp. 47. parerg. 2.*
num. 4. & seqq. illudq; merè Latinum ostendit: cum *Bulla*
sit tumor rotundus, in aquæ motu momento temporis ena-
scens, & evanescens: unde per Metaphoram ad sigilla, in
capsulis ad Bullæ similitudinem comprehensa, congruè re-
ferri potest; quemadmodum & capita clavorum fastigiata,
ad superbarum ædium fores & valvas exornandas parata,
bullas dixit Plaut. *in Asin. act. 2. scen. 4.* & Bullas aureas è
valvis ablatas, Cic. orat. 9. *in Verr.* Describuntur autem,
quod sint Persona, qua à Comitibus Palatinis, à summa Ma-
jestate Cæsareâ, cuius vicem supplent, ad hunc actum singula-

A 3.

riter



riter privilegiatis, Doctoris insignia, prævio examine, & Diplomatis sive Bullæ interventu, sunt consecuti.

CAPUT II. DOCTORUM BULLATO- RUM CAUSAM EFFICIENTEM ET MATERIAM SIVE OBJECTUM EXAMINANS.

Causa Efficiens Doctorum Bullatorum est Comes Palatinus, cui ex plenitudine potestatis, quam autoritati Cæsareæ Majestatis acceptam fert, hoc jus creandi competit, *Ferrar. Montan. lib. 5. Feud. c. 7. Matth. Stephan. de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 1. memb. 2. num. 67. & seq.* Secernimus autem in fronte statim eosdem ab aliis, quibus Facultates in Academiis Titulum huncce, præcedentibus examinibus consuetis, attribuunt: quorum qualitates probantur per literas testimoniales Academiæ, vel Facultatis, cui quis operam navavit, vel in quâ gradum consecutus est, *Salicet ad Autb. Habita C. ne Fil. pro Patr. num. 3. Demonstratur etiam per matriculam, aliisque Documentis deficien- tibus, per juramentum Scholaris, vel Doctoris afferentis se talem esse, Bartol. lib. 3. C. de agent. in Reb. lib. 12. Rebuff. tractat. de privil. Scholar. privil. 147. quod probè notandum, secundum Coler. de process. Executiv. part. 2. c. 3. num. 136. p. m. 389. contra eos, qui veniunt ex peregrinis nationibus, allegando, se ibi consecutos licentiam, pro effugi- endis judiciis Doctorum in examinibus privatis. Illorum enim assertioni non adhibetur fides, nisi allegatam qualitatem probent supra dictis modis, aut saltim per suum ju- ramen-*

ramentum. Separamus porrò Bullatos nostros à Cæteris, quibus ipse sumimus princeps immediate hancce dignitatem confert, *Ferrar. Montan. lib. 5. de Feud. c. 7. Sixtin. de Regal. cap. 2. num. 27.* vel unico etiam verbo; sicut & Licentiatos & Magistros hoc pacto pronunciare potis est, *Reinhard. Rönig/ Theatr. polit. part. 1. cap. 1. num. 345.* modo tamen sint habiles & erudit: non etenim ferendum, ad opinor pronunciatum *Pacian. de Probation. lib. 2. cap. 41. num. 13.* de inhabilitate creati per Principem disputandum non esse; quum semper intelligatur, cum eo super omni maculâ dispensatum. Injurius siquidem futurus esset Princeps in Doctorum Ordinem, si talem creaverit, qui nullo suo merito dignitatem istam affectat, *Dn. Ziegler. Dissert. de Jur. Majest. erigend. Acad. Et c. tb. 21.* præsertim quoniam Docturæ non simplex est dignitas, sicut Nobilitatis; sed in eruditione fundatur, *Bachov. in Treutl. volum. 1. Disp. 1. tb. 7. lit. A.* & Doctor per Scientiam ipso jure efficiatur Nobilis, *arg. 1. providendum. 7. C. de postul.* Unde non malè quidam dispensationem Principis circa inhabilitatem subjecti tunc demum admittunt, quando tale concurrit impedimentum, quod potest à Principe tolli, & constat, eum scire impedimentum, *Ant. Perez. ad Tit. C. si serv. aut Libert. ad Decur. aspir. num. 6.* Elegans hujus rei exemplum nobis suppeditat Sigismundus Imperator, à quo cum Georgius quidam Fiscellus, Legum Doctor, Equestris militiæ insignia suscepisset, in Synodo Basiliensi, consultante de rebus arduis Sigismundo, dubitante illo, utrum Doctoribus, congregatis in uno loco, aut Equitibus in alio se adjungeret, cum tandem ad hos inclinare videtur, stultè agis, inquit Imperator, qui Literis Militiam præfers. Nam ego milites unâ die mille fecerim, Doctorem Mille

Mille annis unum (intellige inhabilem, ineruditum, nec propter suam juris scientiam approbatum) non fecerim.
Marquard. Freber. ad Petr. de Andl. lib. 2. c. 13. verb. utrum.
Doctor militi. p. m. 198. Materiam sive Objectum Doctorum Bullatorum idem statuimus, quod Doctorum in genere: sive jam fuerint illi à Principe immediate, sive à Promotoribus, legitimè constitutis in Academiis, creati & renunciati: nimirum Homines idoneos & aptos, honestæ vitæ, & morum bene compositorum, immaculatae famæ, atque legitimè natos. Hinc Jasonem legimus à Collegio Mediolanensium repulsam sustulisse, quod legitimè natus non esset: quale statutum quoque Bononiæ, Basileæ, Salisburgi & in aliis Germaniæ Academiis viget, ubi insignia Doctoris iis ante non conferuntur, quam de legitimâ nativitate eorundem constet, *Herm. Hermes Fasic. Jur. Publ. c. 33. num. 166. p. m. 669.* Unde & juramentum credulitatis, quod scilicet Doctorandi se legitimè natos esse putaverint, nec etiam natarium quæstionem unquam subierint, aliquando adhibitum fuisse patet; (quamvis & spurios, intellige Johannem Andreæ & Bartolum à Saxo Ferrato, suus immortalis hucusque inter eruditos mansebit honor) His addunt nonnulli absolutionem quinquennii in studio juris à Justiniano præscripti, item ætatem vinti quinque annorum: verum, quoniam non quādiu, sed quām benè in Academiis vixisse juvat; præterea quoque ingenii præcocibus iidem certi limites cum tardioribus ponendi non veniant, idcirco hæc, tanquam superflua, lubenter mittimus, & concludimus potius cum *Felin. Sand. ad C. cum vigesimum. 41. x. de off. Et potest. Jud. de leg. num. ii. p. m. 1233. Et Heinric. Cardinal. Hostiens. in Prolog. ad Decretat.* Quod in Doctore omnis ætas sufficiat, datâ sufficientiâ.

CAP.



CAP. III. DOCTORUM BULLATO, RUM CAUSAM FORMA- LEM EXHIBENS.

Forma, per quam Subjectum habile redditur ad edendam operationem, est ipsa actualis applicatio insignium Doctoratus, à Comite Palatino, ob præviam sufficientem examinationem & aptitudinem, vigore potestatis, quâ pollet, Cæsareæ, facta. Hinc apertissimimè videmus, quod rigoroso prius examini subjici debeat Candidatus à Comite Palatino, ipsiusque scientia & eruditio, quæ de Doctoris essentiâ est, explorari, adeoq; ipse, Optimorum Ordinis consensu & decreto adspirante, approbari, arg. l. Magistros. C. de Prof. S. Med. Helfric. Ulric. Hunn. ad Treutl. vol. i. Disp. 1. tb. 7. lit. A. quest. 40. p. m. 93. Taceat itaque Everbard. Speckban. Quest. Jur. Cesar. Pontif. & Saxon. Cent. i. quest. 22. p. m. 65. & seqq. Doctores, qui ex Rescripto & Bullâ gradum acceperunt, privilegiis & insignibus Doctorum solenniter promotorum gaudere non debere, asserens. Fundamenta ejusdem, in Formam Syllogisticam redacta, sequentem in modum sese habent: (i) si verum est, quod privilegia & insignia, quæ passim in Jure nostro Doctoribus attribuuntur, de Doctoribus legitimè promotis accipienda sunt, sequitur, quod non attribui vel competere debeant Doctoribus ex Rescripto Principis, sive Bullatis. Sed verum est prius, per ea, quæ allegant Mattb. Coler. de Process. Exec. p. 2. c. 3. n. 129. in pr. v. 135. p. m. 389. & Guid. Pap. Dec. 88. & 898. n. 11. arg. l. si ita quis. 53. §. fin. de legat. 2. Jul. Pac. in Orat. quâd. Heidelberg. habit. quem citat Renneman. de Jur. Rer. Disp.

B

47.

47. tb. 1. Parerg. 2. num. 6. lit. B. p. m. 526. Ergò & poste-
rius. Verum enim verò nos negamus minorem. Peræquè
enim falsum est, quod hæc privilegia tantum pertinere
debeant ad Doctores in Academiis legitimè promotos;
atque probare velle thesin ex l. 53. cit. Committitur ita-
que petitio principii, & quod probari debet, loco majoris
indubitatæ propositionis ponitur. Imperator siquidem
summus, ut supra cap. 2. monitum, perinde habitat Comi-
tem Palatinum, eiique facultatem ad promovendum probè
dignos concedit, atque hoc largitur Academiis celebrio-
ribus, & legitimè à suis Nutritoribus fundatis; uti patescit
ex diplomatibus specialiter ad hasce expeditiones con-
cessis. Legem quod attinet allegatam, non est illa l. 53. sed
l. 51. §. 1. in quâ longè alia materia pertractatur. Quæ-
stio quippe ibidem est, an is, cui in tempus liberorum ter-
tia pars relicta est, possit prædictam tertiam partem con-
sequi, si liberos per adoptionem sibi quæsiverit? quod ne-
gativè deciditur: ab eo autem argumentari velle: Ergò
quemadmodum is, à quo liberi ex proprio sanguine procreati
desiderantur, petito non potest satisfacere per liberos ad-
optivos; ita quoque is, à quo titulus Doctoris requiritur, qua-
sito satisfacere non valet, si fuerit creatus à Comitibus Pa-
latinis: neutiquam procedit, uti quilibet sanæ compos-
mentis, & artis peritus colligere potis est. Ut jam nil di-
cam de Doctoribus ex Rescripto Principis immediate cre-
atis: quia, quamcunque facultatem Princeps summus in-
ferioribus suis subditis & vasallis dependenter concedit,
eādem ut ipsem et independenter prædictus sit, necessum
est: Atqui Collegiis Doctorum in Academiis approbatis
perinde, ut Comitibus Palatinis, summus Princeps fa-
cultatem creandi Doctores dependenter concedit: Ergo
ipsem

ipsem et eadem independenter praeditus sit necessum est.
Majorem negare nemo poterit, nec forsitan etiam ullus,
qui jurium Majestatis, in quantum summo Principi compe-
tunt, cognitionem exactiorem habet, unquam negabit.
Minor patescit ex cap. 2. ubi similiter de causâ Efficiente
Doctorum tam in genere, quam in specie sermo institutus
fuit. Ergo cum ad conclusionem materialiter non sit re-
spondendum, veritas argumenti nostri indubitato suo
consistit talo.

Alterum *Speckhanii* argumentum sequenti modo
concludit: Si Doctores, qui ex Rescripto, Diplomate vel
Bullâ gradum adepti sunt, à collatione subsidiorum Delphi-
nium immunes non sunt, sequitur, quod non gaudeant
iisdem Privilegiis, quibus legitimè promoti, quippe qui
sunt immunes: Sed verum prius, per ea, quæ tradit *Guid.*
Pap. loc. cit. n. 3. E. His adde, quod secundum alios ejusmodi
Doctores Bullati non admittantur, quando statutum re-
quirit, ut non nisi Doctores vel Licentiati in Ordinem Ec-
clesiasticum vel collegium cooptentur. Sed hoc Argu-
mentum satis elumbe esse, nemo non videt. Ab iis enim,
quæ de facto fiunt, argumentari velle ad ea, quæ jure fieri
debeant, non semper bonam exhibit consequentiam, *arg.*
l. 12. ff. de off. præf. ubi itidem non tam spectandum est,
quid Romæ factum sit, quam quod fieri deceat.

Tertium *Speckhanii* argumentum talem infert conse-
quentiam: Doctoribus legitimè promotis in executione
faciendâ, & Repressaliis exercendis, libri, lectisternia, &
reliqua ipsorum Suppellex afferri non potest: Doctori-
bus Bullatis hæc cuncta afferri possunt. E. Doctores Bul-
lati non sunt Doctores legitimè promoti, nec privilegiis
Doctorum gaudent. Majorem probat, quod sine his com-

modè vivere, & aliis, quæ didicerunt, communicare nequeant Doctores, juxta Coler. de Process. executiv. cap. 3. part. 2. num. 126. & seqq. p. m. 389. Minorem itidem deducunt ex Coler. loc. cit. num. 129. & Guid. Pap. loc. cit. Item ex Alexand. in l. Centurio. 15. num. 10. 20. 21. ff. de vulg. & pupill. substit. Sed nos similiter negamus minorem, cuius evidentiā quemlibet perspicere posse, arbitramur, ex resolutiōne argumenti primi.

Quartum Speckhanii argumentum fortius assertiōnem nostram stringere, primâ vice aliquis existimabit: ubiunque substantialia legitimè promovendi Doctoris requisita deficiunt, ibi quoque non potest censeri Doctor legitimè promotus. Atqui in Doctoribus Bullatis hæc deficiunt. E. Minor inde deducitur, quod Substantialia Doctoris requisita in eo consistant, ut legitimè examinetur, &, optimorum ordinis consensu & decreto conspirante, approbetur. 2. Ut promotor & examinatores sub juramento suo deponant, eos sufficientes esse. 3. Ut Croceus sive Purpureus Pileus, sive Biretum, in signum splendoris, capiti eorum imponatur. 4. Ut eis Cathedra pro investiturâ possessionis tradatur. 5. Ut Liber, tanquam materia Doctorandorum, in quâ se exerceant, ipsis aperiatur & rursus claudatur (quanquam & alia plura quidam desiderent, traditionem scil. annuli, osculum & benedictionem, quæ tamen secundum Baldum. in proœm. Decretal. de essentiâ Doctoratus non sunt; cum & mulieres osculentur, despontentur & benedicantur) sed & hæc Doctissimo Jcto Speckhanio denegamus: quandoquidem cuncta etiam jam recensita in Comite Palatino, in Doctorem aliquem creaturo, præsupponimus. Non etenim nudum creationis exercitium, sed multo magis prævium sufficiens examen, approbationem-
que

que legitimam Doctorum ejusdem Facultatis adesse debere certum est. Hinc etiam inter omnes manifestum existit, quod, quoad habilitatem subjecti eligendam, perinde adstringantur Comites Palatini, ut alii in Academiis constituti Promotores; nec dispensare possint super personam, quae alias Dignitatum capiendarum censetur incapax: quapropter recte rejectus fuit Judæus Vivus Wallech / alias B. Josephus vocatus, à Facultatibus Juridicis Helmstadiensi atque Jenensi, quem tamen Comes Palatinus Joachim. Alluramer Paduæ in Medicinæ Doctorem, intercedente Bullâ, creaverat, *vid. Magnif. Dn. Bechman. tract. de privil. stud. cap. 8. n. 30.* Eandem decisionem quoque, terminis hisce presuppositis, nobis suppeditat Rennem. *de jur. Rer. Disp. 47. tb. i. parerg. 2. num. 8. in verb.* si cætera essent paria, hoc est, si Bullati non aliter ad hunc admitterentur gradum, quam si per prævia examina de moribus & de eruditione ipsorum pericula legitimè facta fuissent, statuendum hoc sanè, quod nihil causæ revera superesset, quo minus, quoad Dignitatis Autoritatem, pari cum promotis gradu censeri possent & deberent. Porrò ab hoc dissentientium scopo non abludit Marquard. Freber. *in not. ad Petr. de Andl. l. 2. c. 5. verb. Bullâ sed sigillo. p. m. 170.* qui non aliunde Doctores Bullatos dictos esse contendit, quam quod eiusmodi literis suæ Doctrinæ sigillatis, absque legitimo examine & promotione, nitantur, cum quo consentiunt Rutger. Roland. *in tr. de commiss. part. 1. lib. 1. c. 14.* Ventur. *de Valent. in Partben. Litig. lib. 1. c. 7. n. 32.* Menoch. *consil. 126. n. 18.* Ast ad hoc quoque argumentum, responsio sat facilis in promptu est: siquidem nos non verbis, sed re ipsa philosophamur, & per consequens, argumentum ab Etymologiâ & Definitione nominali desumptum, parum curamus.

Sextum Argumentum petere contradicentes assident ex Constit. Cam. Imperial. part. i. tit. 3. §. desgleichen.
hoc pacto: Doctor legitimè promotus in Academiis potest fieri Assessor Cameræ Imperialis: Doctor Bullatus non potest fieri Assessor Cameræ Imperialis: E. Min. probant ex §. alleg. ubi: Auch zuvor und ehe sie zu Beyfizern genommen / auff Universitäten / welche zum wenigen von unsfern Vorfahren/ Römischen Käysern und Königen der ißigen Kaiserlichen Majestät/ oder uns confirmiret, gelesen/ oder zum wenigen fünff Jahr lang im Rechten studiret &c. haben. Jam verò nemo Doctorum debet in Academiis publicè docere, legere vel disputare, nisi qui legitimè à J Ctorum Ordine est promotus; exinde excluditur Doctor Bullatus, atque per consequens Assessor fieri nequit. Attamen allegantur hæc duntaxat, non etiam probantur: unius quippe positio alterius exclusionem non importat, & longè alia mens est Imperatoris nostri, qui legalitatem potius Doctorum ex hisce enarratis terminis colligendam svaldet, quam ut velit Doctoribus, à Comitibus Palatinis creatis, viam ad Dignitates denegare. Et positō, quod ita res se haberet, non parum hæc imminueret summam Summi Imperatoris Majestatem & Potentiam; quasi per Comitem Palatinum hæc sua Majestatis iura (uti arbitrantur Menoch. lib. 2. quæst. 126. n. 18. Rutg. Ruland. de commissar. lib. 1. c. 14. n. 8. Jung. Jac. Ben. de Priv. J Ctor. p. 2. n. 6. Rennemann. de Jur. Rer. Disp. 47. parerg. 2. n. 9.) non posset æquè, atque per privilegiatam Academiam, exercere: hinc iterum urgere possemus arg. l. 12. ff. de offic. Präsid. add. Dominic. Arum. ad A. B. discurs. 1. tb. 5. cum Petr. Gregor. Tholos. de Rep. lib. 18. c. 9. n. 8. & Regner. Sixtin. de Regal. c. 2. Exemplum in Imperio nostro Roma-

no

no Germanico nobis producit *Limneus*, quando Imperator Rudolphus II. Barthol. Bezium, Tyrolensem Oratorem, & Legatum ad Portam Ottomannicam, antequam ejus operâ in arduo isto negotio uteretur, majoris dignitatis ac reputationis gratiâ, solenni Diplomate Doctorem Juris renunciavit, vid. cum *Staml. de Reservat. Imper. Rom. Germ.* §. 56. num. 7. *Magnif. Dn. Bechman. intra Et. de privil. stud. cap. 8. num. 17.* & in *Tract. ad A. B. Carol. IV. Ex. 10. ad. tit. 20. n. 59* Aliud extra Imperium nostrum legi potest apud Olear. in *Itiner. Pers. cap. 6.* de magno Duce Muscoviae, qui Germanicæ Nationis Medicum, satis felicem, in Doctorem Medicinæ, mediante insigni Diplomate promovit.

Ultimò anneximus opinionem *Johannis Fabri*, in *§. Responsa. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* quod si Doctoris creatio sit solius Imperatoris, sequitur, quod Doctor Doctorem creare non possit: Atqui verum prius: E. Sed miror, virum huncce, eruditioñis sat conspicuæ, adeò obtuso prodire voluisse telo: Exinde etenim similiter argumentari possemus: quod nec in Academiis renunciati Doctores Doctoribus gaudere privilegiis possint; quum & his insignia, honores, titulus & privilegia Doctoralia à Doctore sive promotore conferri soleant: Quoniam tamen Comes Palatinus æquè, ut Promotor Academicus, non privatâ, sed publicâ Cæsaris Autoritate rem totam peragit; hinc quoque, ubi eadem militat ratio, idem jus constituere necessum habemus: & denique universaliter omnia hæcce dubia concludimus cum verbis supra laudati, Juris tam publici, quam privati peritissimi *Arumæi*: Quia Bullati examinantur, quia solemnia in eorum renunciatione adhibentur, ideo eosdem in Collegium, vel Ordinem Ecclesiasticum, vel Civilem, ad Assessores Camerae Imperialis recte recipi,

recipi, à collectis immunes esse, & nobiles reputari, quid? omnibus illis privilegiis, quibus in Academiis promoti frumentur gaudere debere, *add. Speidel. in spec. Jurid. verb. Doctorores.* Cæterum ingenuè confitemur, & Doctorandis tam singulari virtute, modestiâ & gravitate præditis; quam præclarâ cum eruditione in Jurisprudentiæ scriptis studiose volutatis sedulò cum *Rennem. loc. alleg. num. 10* svademuſ, ut, si quando iisdem mens fuerit, cum honoribus in utriusque Juris pelago, ex prudenti consilio, sibi velificari; Academico potius ordine, & statis temporibus, se publico, licet periculoſo, flumini committere, atque in Facultatis suæ palæstrâ eruditionis & doctrinæ, cùm disputando, tūm docendo specimen edere, & hisce exercitiis ſeſe ad gradus honorum captandos idoneos demonstrare; quam ſub privato Bullarum Flamine, cùm ſecuritate (quâ multi ſæpius mitrati aſini, morum & facundæ eruditionis excellentiâ deſtituti, abutuntur, *Arum. l. c. p. m. 7.*) navigare malint.

CAP. IV. DOCTORUM BULLATORUM FINEM ET EFFECTUM ADUMBRANS.

REſtat jam enucleanda quoque *Causa Doctorum Bullatorum finalis*, quæ maximâ ex parte in eo conſiftit, ut justum ab injusto licetè diſcernatur, quod melius expediri non potest, quam ſi ejuscemodi ſubjecta probatæ artis & fidei mundo proponantur, quæ contra rabulas aliosque fori perversores indubitata Themidos præcepta proponant atque tueantur, & alia insimul vulgi ſcommata, ac præprioris: *Juristen ſind böſe Christen/ (de quibus Lans. in orat. contr.*

contr. Ital.) à Legum Sacerdotibus pro virili arceant. In reliquis nostros Bullatos cum aliis, tām ab Academiis, quām à Principe, vel uno etiam verbo, creatis coincidere certum est: Quoniam verò de his varii eruditorum prostant tractatus, supervacaneum duximus, ut crambe bis apponatur, vel recoquatur: Possunt tamen interim de Doctoribus Bullati evolvi ea, quæ nostram sententiam confirmant, apud Molin. de Hispan. primogen. lib. i. cap. ii. num. 22. Vincent. de Francib. decis. 62. n. 6. Georg. Mund. à Rodach. de Comit. Palatin. c. i. n. 65. Peregrin. Conf. 84. n. 13. volum. i. & Conf. 3. n. 23. vol. 2. Nolden. de statu Nobil. c. 2. §. 1. n. 13. Non absimilia pronuncianda judicamus de Effectu, quem causa efficiens cum causâ finali communem habet. Licet etenim Mund. tract. cit. c. 3. n. 233. cum Decio in l. cum quid. n. 11. ff. si cert. pet. Guid. Papa decis. 388. in fin. Peregrin. loc. cit. n. 7. Doctores à Cæsare immediate creatos, propter Augustorem Majestatem, aliis à Comitibus & Academiis promotis præferendos esse existimet, si cum rigore Examinis à Principe fuerint Doctorati, quo & inclinant Tapia in Rubr. ff. de Const. Princip. cap. 4. n. 119. Kirchhof. consil. 14. n. 42. urgentes potissimum exemplum in c. 3. Disp. allegati Bezii Tirolensis (Secretarii primum Pauli ab Eitzingen, Liberi Baronis & Oratoris Cæsarei) cuius mentionem quoque faciunt Laurent. Obm. de jur. Episc. tb. 17. Waltber. de stat. Jur. & privil. Doct. cap. 5. §. 12. quest. 2. Attamen hisce ne quicquam obstantibus, quoniam non minus in Academiis & à Comitibus Palatinis creati ex mandato Cæsareo tales existunt, & id, quod quis per alium facit, per se putandus erit fecisse; idcirco, nisi expressa Imperatoris, Doctorem à se promotum aliis omnib⁹ præferentis, voluntas doceri queat, hosce omnes tām immediate, quām immediate creatos pari digni-

C

tatis

tatis gradu gaudere posse credimus. Sed quæritur : an idem
dicendum de creatis Doctoribus ab Advocatis Consistoria-
libus Romæ , quibus Pontifex, attestante *Petr. Gregor. Tho-*
los. Syntag. Jur. Universi lib. 49. c. 6. n. 10. inter alia multa
privilegia quoque concessit , Laureâ Doctoreâ in utroque
Jure Cæfareo & Pontificio, doctos juvenes ornandi ? Sanè
in iis Territoriis, quibus ipse Pontifex ut Princeps quoque
secularis præstet, hosce valere posse, nemo dubitat quemad-
modum & inter pontificios Religionis Zelo agitatos, utut
Rom. Germ. Imperio subjectos, lubenter admittuntur : Ast
in Imp. Rom. Germ. inter Augustanæ confessioni addictos,
ubi Papæ nec in sacris, nec in profanis suprema jurisdictio
conceditur, meritò negativa tuetur : tum maximè, quod
non solum prævium examen & approbatio alicujus erudi-
tionis ; sed insuper summa potestas honores & dignitates
conferendi ad Doctoratum requirantur : interim eosdem
vulgò & de facto quasi, connivente videlicet Imperatore,
tolerari & admitti inter nostrates quoq; totâ die videmus.
Quid verò, si ipsemet Pontifex mediante Bullâ aliquem Do-
ctorem, Licentiatum vel Magistrum creaverit, an & hi in
Imperio nostro Romano - Germanico pro Doctoribus ha-
bendi ? quale exemplum in priori seculo contigisse, refert
Lans. de Acad. p. m. 93. lit. N. cum Middendorp. lib. 1. de Acad.
c. 13. ubi Pontifex Romanus Pius IV. procurante Ferdinando
I. Cæsare, misso honorifico Diplomate, Archi-Episcopo Sa-
lisburgensi potestatem dedit Fridericum Staphylum, quem
Facultas Theologica Ingolstadii, ob id, quod uxorem habe-
ret, recusarat, in præsentia aliquot Doctorum & Episcopo-
rum, qui rigoroso Examine prævio, per jurata verba affir-
marent, istum idoneum esse, tam juris Canonici, quam
Theologiae Doctorem creandi: **Quod & Archi-Episcopus,**
cop-

confuetis debitissque ceremoniis adhibitis, ac impositione
rubri pilei à Pontifice missi, in ipsis Comitiis Augustanis sc-
lenniter fecit. Nos, præter ea, quæ ad quæstionem præce-
dentem adjecimus, ad hocce quæsitum resolvendum insi-
stimus vestigiis *Magnif. Dn. Ziegler. Dissert. de Jur. Majest. e-*
rig. Acad. &c. th. 8. nolumusque Pontificis, cum Canoni-
stis, supremam asserere potestatem, quam cum Imperatore
ipsum habere, ex *Can. duo sunt. 10. Dist. 96.* proponit *Matth.*
Steph. de Jdict. lib. 3. c. 2. n. 14. quo circa similiter negativè
rem totam decidimus. Interim quoniam, ut mox antea di-
ctum, Imperator in horum Doctorum Papalium promotio-
ne tacendo connivet & eandem fieri permittit, quam tamen
impedire poterat, hinc aliquo modo consensisse præsumi-
tur, *arg. l. 63. §. scientibus. ff. de Re jud.* Sed hoc nos non fe-
rit, quippe qui non loquimur, quid Imperator, proprio &
spontaneo motu, alteri concedere velit; quin potius, quid
Papa ex plenitudine absolutæ suæ, quam falso prætendit, in
Imperio nostro Romano-Germanico peragere possit. Mi-
tius aliquo modo judicium nobis residet de Academiis ve-
teribus à solo Papa confirmatis, quibus, præter sæpius alle-
gatam Imperatorum conniventiam, etiam accedit posses-
sio quasi immemorialis, *Fulv. Pacian. de Probat. lib. 2. c. 41.*
n. 52. ad quam *Dn. Zieg. loc. cit.* centum annos in Civitate,
studium publicum possidente, sufficere aestimat. Quan-
quam enim tempus immemoriale, seu tempus memoriam
hominum excedens, accuratè loquendo, differat à cente-
nario, *Carpz. part. 2. Jurispr. forens. Const. i. Def. 7.* tamen
tempus centum annorum plerumque etiam, præsertim in
favorabilibus, immemorialis temporis nomine venit; eo
quod per illud longissimus vitæ humanæ tractus finiatur, &
præsumatur utique Imperator, qui tam diu ibi studia publi-

C 2


cè tra-



cè tractare permisit, jus Academiæ concedere voluisse, add.
Habn. ad Wesenb. tit. de Usucap. n. 7. Balb. de Prescript. part.
2. tert. pr. quest. 6. n. 24. Reliqui Bullatorum Doctorum Ef-
fectus cum Doctoribus ab Academiis solenniter creatis co-
incident, nimirum (1.) quod propter Dignitatem omni car-
ceris periculo vacent, licet propter inopiam æs alienum
conflatum dissolvere nequeant, imò neque bonis cedant,
arg. l. Medicos. C. de Profess. & Med. add. Bartol. de Saxo Fer-
rato in l. i. C. b. t. Qui eos tantummodo duci ad judicium
vel curiam tradit. (2.) quod, testimonii vel jurisjurandi cau-
sa ad Magistratum, evocari non debeant (habentur quippe
Personæ egregiæ) hinc Judex ad eos quempiam v.g. Actua-
rium mittere debet, qui Jusjurandum vel testimonium ab
eis recipiat, arg. l. ad personas. 15. ff. de jurejur. (3.) quod li-
cet criminis capitalis suspecti ex arbitrio judicis potius do-
mo cum certâ custodiâ militum custodiri, vel etiam remo-
tâ custodiâ in certo loco arresto constringi; quam in carce-
re publico contineri debeant, arg. l. de Custodia. 1. ff. de Cu-
stod. Reor. (4.) quod quovis tempore & loco arma gestare
possint, Bartol. in l. Medicos. 6. C. de Profess. & Med. (5.) quod
iisdem unà cum eorundem uxoribus jus sit vestimenta, or-
namenta & aureas catenas, annulosque gerendi, Recess. Im-
perii Francfurt. Anno 1577. (6.) quod eosdem verberans,
pulsans, vulnerans vel injuriâ afficiens teneatur lege Julia
de vi publicâ arg. l. 7. ff. ad l. Jul. de vi publ. ibique gloss. jung.
Hartman. Hartman. 1. observ. 4. Plura sponte mitto, cum ea
hinc inde coacervata quilibet invenire potest apud Docto-
res, qui de Privilegiis Doctorum ac studiosorum & in spe-
cie ad Autb. Habita C. ne Fil. pro Patr. elaboratissimos mun-
do dereliquerunt Tractatus. Vale interim B. Lector,
atque, si inchoaveris amare, perge!

Sic





SIc laudabiliter perge, Sponsore,
Brabeutâ
Me, Themidos capies summa,
brabia brevi.

Per - Eximio Dn. Autori amicâ m. & m.
gratul.

JOHANN - VOLK. BECHMANN D.
& Antecessor.

BULLATI quæ sint DOCTORIS, Docte
Themista,
Jam Doctos Doctè JURA docere cupis.
Tradit Bulla mitram Doctoribus : ecce Tiaram
Mox tradet rubram Docta Salana Tibi!

Nobilissimo atque Clarissimo Dno Autori,
J.lli. Candidate dignissimo, gratulante
calamo bac scribebat

PRÆSES.

Eximio

C^o 3

Eximio atque Politissimo
DN. ECBERTO FELICI
Meyerhoff / LL.C.
Amico, Fautori & olim Commensali suo
svavissimo.
Eruditum Specimen
De
BULLATIS DOCTORIBUS

edenti
S. P. D.
JOH. CHRIST. Hundeshagen /
Prof. Publ.

Dum de BULLATIS DOCTORIBUS ore diserto
Tradere jam *Doctus* lemmata *docta* studies,
Pergas, nam DOCTOR fies, quod spondeo sanctè.
Præmia pro cœpto digna labore sient.

Si porrò tanto tractes conamine Jura,
Doctoris tandem nomine dignus eris.

Clarissimo, Per - Eximio atque Pra - Politissimo
Dn. Authori, J. U. Cand. dignissimo, Fau-
tori & Amico suo per quam dilecto ex sin-
gulari affectus testimonio bacce paucula
apponere voluit

Ulricus Pfaler / Ddus.

Das

Als ist das kluge Doctor Ziel,
Dass man denselben pflegt im Sinne fest zu haben
Und sich mit dessen Lust / so kluglich weiss zu laben ;
Das ist das weise Eippen - Spiel /
Das seines Meisters Zweck mit netter Art verdeckt /
Und dessen muntern Sinn ins kluge Blat versteckt.
Man siehets ja wol an der Kunst /
Wo hin / geehrter Freund / die frischen Sinne gehen /
Die eifrigst nur nach dem / was Lob verdienet / stehen.
Des reichen Himmels seine Gunst
Beglücke diesen Sinn und fördre das mit Krafft /
Was solchen Sinn verstärkt und Raum zum Ziele schafft !
Mit diesen geringen beehrte die getehrte Schrifft seines
grossen Freundes aus dienst fertigstem Gemüthe
M. Johann Friedrich Nicolai / der
Philosoph. Fac. Adjunctus.

THEMIS ET VENUS
IN
VILLA.

Art stritten die Themis und Venus zusammen
Umb einen schönen Meierhoff.
Die Themis die wolte die Venus verdammen
Und beyden doch ein Glücke troff.
Die Themis die wolte die Venus nicht haben /
Der Venus dieses recht verdroß ;
Die Themis die wolte mit Schreiben sich laben /
Die Venus ihre Pfeile schoß.
Es wolte die Themis der Venus nicht weichen /
Sie wolten beyde diese Lust ;
Den Meierhoff wolten Sie beyde erreichen /
Weil dessen Schönheit war bewußt.

Als

All diese nun beyde so stritten in allen/
Kam selbst Apollo mitten ein/
Und sagte: Ihr könnet zusammen wol stallen/
Der Hoff soll künftig Euer seyn/
Ihr Schönen! du Themis verrichte das deine/
Du Venus nim dich deines an!
Du Themis sey hurtig/das Schreiben ich meine/
Das sey zu Ehren dir gethan/
Du Venus erwarde mit lieblichen Minen/
Wann sich hie Themis niedersetzt/
So kanstu am besten dieselbe bedienen/
Und sie sich auch mit dir ergezt.
Drum gehet zusammen und freuet Euch beyde/
Der Meyerhoff gebe Euch lustige Beyde.
Hiermit hat seinen guten Gönner und lieben Bruder
aufwarten wollen

FRIDERICH SCRIBA.

So recht! Klein werther Freund/ so lässt sich wieder blicken
Sein nie gesparter Fleiß? Es wird ihm seinen Lohn
Die Themis geben bald: Sie wird ihn bald erquicken/
Weil Cypris und Sie längst bereiten eine Cron.
Mit diesem wolte dem Herrn Authori, aus treuschuldiger
ster Freundschaft, Pflicht glückwünschend, schul-
digst aufwarten

JOHANN-JUSTUS ARCULARIUS
aus der Graffschafft Ravensberg.

Dum doctè Doctoratum jam discutis, ist hoc
Te non indignum censet honore Themis.
Fausto hoc omne applaudit Nobilissimo Dno Respondenti,
Amico suo ac Commensali singulariter dilecto
Joh. Jac. Goetius.

FINIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-376284-p0030-9

DFG

94 A 7399

ULB Halle
005 127 157

3



VD 17

Reha





B.I.G.

Farbkarte #13



TITUL.

J. J.
DOCTORES.BUL-
LATOS
MAGNIFICO. SUPERIORUM. PERMISSU
PRÆSIDE
DN. JOH. GEORGIO. SIMONE. D
EXHIBET
ECBERT. FELIX. Meyerhoff
STERNBERGA. WESTPHALUS
AUTOR
JENÆ. DIE. III. DECEMBR. A. O. S. M. DC. LXX.
TYPIS. NISIANIS

